ratori & Principib. pares & præcipuè anathematis fulmine, tanquam Veioves novi, facti formidabiles, premere illos, & Pontifex ipsis adeò Imperatoribus servitutem intentare cœpit. Interea verò non ita mentes fascinatas omnium fuisse, ut nihil in Hierarchia Romana, & fucata religioue, desideraretur, Imp. Cæs. OTHONIS II. planum facit historia. Tum enim in contemtum illam adductam, etiam injuriis vexari cœpisse, Ditmarus queritur. Atque ipse Imperator, cum quendam joculariter initiari sacris jussisset ab Theodorico, Episc. Metensi, homine avaritia in explebili, is animum Imperatoris atque affectionem tam in Episcopi quam aliorum quorundam ex ordine sacro perversitatem non ignorans, veluti gratiam haberet: *Satiet te*, inquit, *Dominus in futuro, quem hic omnes non possumus auro.* Addatur his Altero loco de Imperii ejus temporis statu; addatur, quæ creditur vulgo, *de Septem virorum* creandis Romanis Imperatoribus promulgata sanctione: quorum ille ut satis ab *Ditmaro* diligenter proponitur, ita hujus mentio nulla fit: Vt quandoquidem de ea recte dubitatur, quid admitti oporteat, definiri hinc difficile non sit. Enimvero cum eadem Sanctio ad OTHONEM III. auctorem referatur, *Ditmarus*, etsi cæteras ejus res gestas, & aliquas etiam obscuriores, accurate pertractat, de hac prorsus nihil habet, & de *Brunonis* historia, qui in Pontificatu cognominatus GREGORIVS V. *Othonis* decretum adjuvisse perhibetur, ita explicat, ut animi illum ingrati, & nefariarum in Imperatorem molitionum accuset. Quid nunc hoc attingam, quòd Mysnica, & urbis ac *Marchiæ Mysniæ* primordia, alibi nusquam enodantur exquisitius? Vt vel hoc uno nomine legi ab omnibus auctor hic mereatur. Certè quod nunc usurpamus nomen *Mysniæ*, Ditmaro ignotum est: nuncupatque is regionem illam Slavorum lingua *Lomaciam*, Germanica *Daleminctam*. Nec notiones hic repeto. Tantum id dico, Slavos, qui veterioribus colonis *Mysis* (hos enim proximè *Hermunduros*, quos in ea Germanicæ ora Romanæ celebrant historiæ, excepisse, opinio est) oppressis sedes horum sibi vendicarunt, exindeque primum *Francica*, deinde *Saxonica* arma exercuerunt, ab aliis uno nomine *Sorabos*, ab Ditmaro *Milzenos* & *Dalemincios* nominari. Ac de *Sorabis* quidem & Cosmæ Pragensi & auctori Chronici Goze-